





Handwritten text, very faint and illegible.

Handwritten text, very faint and illegible.

Handwritten text, very faint and illegible.

Handwritten text, very faint and illegible.

Handwritten text, very faint and illegible.

Handwritten text, very faint and illegible.





1786.

1. Eisenhart, Ernestus Ludovicus Angolus: De legitimatione  
Cherorum illegitimosum principum secundum jus Germ.  
nicum tractatus.
2. Haebelin, Paul. Vanni.: De vero statu veteris Palatii  
regalis et Imperialis Norimbergae fide Diplomatum et  
veterum scriptorum episcopatus Hillesheimensis  
to.
3. Hagemann, Theodorus: De expectativis feudatibus  
in terra Brunsvici - Lüneburgensis
4. Kernsdorff, Dr. Christianus: De praeceptoribus impe-  
rii Romani lucus Servii grammatici et Virgilii.  
Nem. 4. 7. v. 188. expensus.

1787.

Eisenhart, Ernestus Ludovicus Angolus: De poena legibus Romae  
nis edictis vindictam privatam sanctorum et foris  
atque valida.

1788.

1. Modler, Johannes Ferdinand: De causis, quae privilegia  
sacris innotuit restant.

1788. 4.

2. Schmidt, Carolus Ludovicus Heymann: De usu juris Ro-  
mani, utalis in foro Hamburgensibus

1790.

1. a. b. g.  
2. Bischoff, Joannes Nicolaus: De feudis oblativis  
2 Exempl. 1790

1791.

Schelle, Joannes Christianus: De justis limitibus  
lege Anastasiana nominis cessationi positio.

1792.

1. Gell, Laurentius, de: De difficultatibus quibusdam  
dialecticis doctrinis. p. I
2. Gyntherus, Christianus Augustus: Theses juris con-  
roversi
3. Kuhn, Carolus Fredericus: De applicatione juris Romani  
ad iustitiam Germanicam propriam.

4. Leopold, Paul Christoph Aug: De effecta novi belli quoad  
vim obligandi quoad vim obligandi pristinae  
paupificationum

5. Mumbard, Henricus Josephus: De praecipuis speciebus  
jurtus reitoris debitorum conveniri possunt?

1794.

1. Bischoff, Joannes Nicolaus: Ad audendam orationem:

De aere alieno principum, qui professionem phil  
osof. . . auspicaturus est. . . iuribus. Praeterea  
sunt nonnulla de politica rerumque commercialium  
studia, juris cultoribus maxime necessariis

2. Frickius, Albertus Philippus: An compensatio  
obstel praescriptis?

3. Roechy, Christianus Henricus Gottlieb: De probatione  
ad perpetuam rei memoriam.

17

2.

1

179

19

2

17.

17,

1.

2.

3.



Z,

1788, 1 6

COMMENTATIO IVRIDICA  
DE  
CAVSIS, QVAE PRIVILEGIUM  
DOTIS INVITILE REDDVNT.

QVAM LOCO  
DISPVATIONIS INAVGVRALIS  
ILLVSTRI IVRE CONSVLTORVM  
ORDINI,

PRO  
SVMNIS IN IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS,  
EXHIBET AVCTOR  
IOHAN. FERDINAND. MOELLER  
PADEBORNENSIS.

P. 415,

DIE XXIII. AVGVSTI ANNI MDCCLXXXVIII.

HELMSTADII  
TYPIS IOH. HENRIC. KÜHN



*[Faint, illegible text on a rectangular piece of paper pasted onto the page. The text is mostly mirrored bleed-through from the reverse side of the page.]*

CA  
D  
  
V  
quen  
Ivstr  
tur.  
rint  
priui  
men  
utile  
transf  
pendi  
rum a  
lissim



---

DE  
CAUSIS, QVAE PRIVILEGIUM  
DOTIS INVITILE REDDUNT.

---

§. I.

*Prooemium.*

Vix vlla quaestio in causis forensibus frequentior est ea, qua de privilegio dotis, a IUSTINIANO imperatore concessio, disputatur. Et quamvis innumera fere prodierint scripta, quae *ius dotale* a) vel etiam *privilegium dotis* b) exponunt; causas tamen, quae insigne dotis privilegium inutile reddunt, obiter tantum et quasi in transitu considerant. Atque etiam in compendiis et commentariis *digestorum* parum aut nihil de hoc argumento in foro vtilissimo traditum deprehendi. Itaque mihi

de themate speciminis inauguralis cogitant  
 haud superuacaneum visum est, si non or  
 nes, potiores tamen causas, quae usum p  
 uilegii huius inutile reddunt, quantum  
 firmitati ratio permittit, exponere.

a) vid. *Bibliothec. iuridic.* LIPENIAN. tom  
 pag. 318. seqq. eiusque supplementa ab Ill.  
 Fr. SCHOTTIO publicata pag. 121. Quil  
 addi potest IOH. GEORG. GEYERT. diss. in  
 gur. de iuribus et obligationibus circa doti  
 Goetting. 1785.

b) veluti IOH. BERNHARD. FRIESE progr. de c  
 si privilegiatis dotis. Jen. 1719. IOACH. CH  
 PINCIER disp. de privilegiis dotium Lugd  
 1697. GEORG. AD. STRVV. de natura privi  
 giisque dotium. Ienae 1665. Job. Gottl  
 Langsdorf Abhandlung von den Vorrechten  
 Eheweiber ratione dotis et illatorum und  
 der unrichtigen Anwendung der Roemisch  
 Gesetze de privilegiis muliebribus, quae v  
 cum tract. von den usuris ultra alterum t  
 cum prodiit Mannheim. 1778. 4.

## §. II.

*De notione privilegii dotis.*

Sub privilegio dotis autem intelligim  
 hypothecam privilegiatam, quam IVSTIN  
 NVS imperator mulieribus infecuritatem do

rogata restituendae in omnia mariti bona concessit  
 non or<sup>a</sup>). Itaque nobis hoc loco sermo non est de  
 sum p<sup>r</sup>iuilegio personali, quo iure ante iustiniano  
 tum mulieres tantum gaudebant, b) in cuius lo-  
 cum priuilegiatam hypothecam IUSTINIA-  
 nus surrogauit. c) Nec de vindicatione re-  
 rum dotialium quae mulieri, ob ius domini,  
 finito et quandoque etiam durante matri-  
 monio competit. d)

- a) L. vlt. C. de rei vxor. act. Sancimus ex stipulatu  
 actionem, quam mulieribus iam pro dote re-  
 situenda dedimus, cuique etiam tacitam do-  
 nauimus inesse hypothecam, potiora iura con-  
 tra omnes habere mariti creditores, licet an-  
 terioris sint temporis priuilegio uallati. Hi-  
 storiam huius legislationis exponit: Ernst  
 Christian Westphal in der system. Erläuterung  
 der sammtl. Röm. Gesetze vom Pfandrechte.  
 §. 164. nota 182.
- b) Quod etiam in legibus priuilegium dotis, vo-  
 catur L. vnr. C. de priu. dot.
- c) pr. L. vlt. C. de rei vxor. act. Nos itaque ad  
 antiquas leges respeximus in personalibus acti-  
 onibus rei uxoriae actioni magnam praerogati-  
 uam praestantes, ut contra omnes peno persona-  
 les actiones habeant priuilegia et creditores  
 alios antecedant, licet fuerim anteriores ---
- d) L. 30. C. de iure dot. L. 73. §. 1. D. cod. L.  
 24. D. solut. matrim. L. 29. C. de iur. dot.

## §. III.

*Causae privilegium dotis excludentes sunt vel generales vel speciales.*

Quum igitur privilegium, de quo iam loquimur, sit ius hypothecae, sequitur etiam ut omnes causae, quae generatim ius pignoris extinguunt, hocce privilegium inutile reddant. Sunt autem praeterea quae in speciali huius privilegii natura latent. Itaque causas quae usum privilegii nostri excludunt, in *generales* et *speciales* dispescere licebit.

## §. IV.

*Adulterium uxoris aut simile delictum.*

Ad causas generales pertinet I) *extinctio debiti principalis* in cuius scilicet securitatem ius pignoris constitutum est. Si igitur ius mulieris repetendi dotem et obligatio mariti eius re heredis ad eam restituendam siue per solutionem siue alia ratione defierit, cessabit etiam privilegium dotis.

Iam vero repetitio dotis *ob adulterium uxoris* excluditur remissione non secuta, li-

cet diuortium vel separatio a thoro et men-  
 sa non sit facta a). Immo adulterium prae-  
 sumtum, vti ad separationem sic etiam ad  
 hanc dotis priuationem sufficere videtur b).  
 Quodque de adulterio dispositum etiam ad  
*similes causas*, quibus aequae fides coniuga-  
 lis dolose violatur et diuortio, vel secundum  
 ius canonicum separationis a thoro et mensa  
 perpetuae locus fit, applicandum. Quo  
 pertinent insidiae vitae structae, malitio-  
 sa desertio --- c)

a) C. 4. X. de donat. inter vir. et uxorem. C.  
 10. X. de consuet.

b) c. 14. X. de praesumpt.

c) I H BOEHMER. in iure ecclesiastic. protest. lib.  
 4. lit. 20. §. 30. GEBH. CHRIST. BASTINELLER  
 d. de uxoris iactura dotis si maritum deserit  
 malitiose Vit. 1755.

### §. V.

#### Continuatio.

Quae ius Romanum de amissione dimi-  
 diae partis dotis L. 19. D. de verb. oblig. L. 8.  
 D. captiu. et postlim. L. 11. §. 3. et fin. D.  
 ad L. lul. de adult. constituit, etiam san-

ctio HONORII et THEODOSII iun. et IUSTINIANI de integra dote ob adulterium aut similes causas amittenda L. 2. C. Theodos. L. 8. II. C. de repudiis. Nov. 115. c. 8. diuortium factum esse supponunt. Sed *ius canonicum* causam poenae huius priuatae in solo adulterio, non secuta licet separatione, niti voluit, modo non accesserit reconciliatio b). In qua collisione, vti in regula, iuris canonici dispositio iuri ciuili praefenda est. c)

a) vid. I. H. BOEHMERI, *diff. de prinatione dotis et successoris statutariae ex capite adulterii, in exercit. in pand.* tom. 4. num. 73. et in *iure ecclesiastic. protest.* cit. loc. §. 3. seqq. IACOB RAVE in *diff. de iure circa bona coniugum non facto ob adulterium diuortio nec reconciliatione secuta* §. 4. seq. Ien. 1766.

b) c. 4. X. de donat. inter virum et vxor. c. 10. X. de consuet.

c) BOEHMER et RAVE cit. loc. LYNCKER, *centur.* 4. decis. 313. PFENDORF tom. 3. obs. 122. et tom. 4. obs. 240.



## §. VI.

*Dolus vel culpa uxoris, quae inopiae  
mariti rationem continent.*

Ius repetendi dotem, orto concursu creditorum, cessat etiam, si uxoris dolo vel culpa maritus ad inopiam redactus est. Quae quidam in re plerique Doctores contentunt a). Ratio autem, quam subiicere solent, *quia dimum, quod uxor sua culpa patitur, sentire non videtur*, inadaequata mihi videtur. Dicendum potius eiusmodi mulierum creditoribus, ob dolum vel culpam suam, ad damni, quod ob insufficientiam bonorum in concursu patiuntur, reparationem obligari, ideoque creditoribus ius competere denegandi solutionem dotis ex bonis debitoris communis et mulieri exceptionem compensationis opponendi. Atque ex hac, ut opinor, ratione haec sententia iuri naturali quam maxime consentanea legibus imperii expresse approbata est. b).

a) vid. v. g. Mev. part. 5. decis. 57. LAUTERBACH. in *consil. Tubing.* Vol. III. *consil.* 273 n. 26. HARPRECHT. de *renunciacione acquasus*

*Ius coniugalis* § 41. STRYK tr. de iure vxoris in bona mariti cap. 3. num. 48. Dissentit autem cum aliis. LANGSDORF. c. tr. §. 36. pag 64.

b) vid. *conclus. imper.* 1670. in der Sammlung der Reichsabschiede quae cum praefat SENCKENBERGII edit. Fräf. 1747. part 4. pag 79. Daferne auch kundbar oder durch rechtlich Erkenntniß heraus kömmt, daß dergleichen verdorbene Kauf- und Handelsleute Eheweiber durch ihre Verthunlichkeit übermachte Kostbarkeit an Kleidungen, Geschmuck, Hausrath und andern, an des Mannes Ruin ebenermaßen schuldig, und also in dolo vel culpa seyn, sollen sie sich einiger weiblichen Priorität, oder verlangter Separation honorum also absolute hier nicht zu getrösten haben, sondern nach der Sachen Umstand mit und neben dem Mann, nach jedes Landes, Stadt und Orts hergebrachten Rechten, habend oder eingeführten Ordnung in Zahlungen lasten. Quam legum imperii sanctionem doctores qui dissentiunt legisse non videntur.

§. VII.

*Dolus uxoris, quo bona mariti creditoribus sunt subtrahita.*

Ex eadem ratione, qua vxor, quae maritum ad inopiam redegit, ius repetendi dotem amittit, statuendum etiam est, vxorem, quae creditoribus bona mariti obaerati dolose

dolose occultando, vel marito creditoribus ea subtrahenti auxilium ferendo damnum intulit, ad indemnitatem praestandam obligari, ideoque ei, si in concursu creditorum privilegio dotis uti voluerit, exceptionem compensationis obici omnino posse. Atque eiusmodi dolus in confesso est, si vxor iuramentum *manifestationis*, quod dicunt, a iudice ei legitime impositum recusauit.

§. VIII.

*Communio bonorum vniuersalis atque omnimoda.*

Quumque apud nos in Germania communio bonorum coniugalis *vniuersalis* atque *omnimoda*, communionem omnimodam aeris alieni operetur, patet etiam, omne aes alienum, siue a marito, siue ab vxore ante initum matrimonium, vel etiam eo durante, ex quauis causa obligandi legitime contractum, ex vnico illo patrimonio coniugum soluendum esse. Orto itaque concursu creditorum vxori non competit repetitio dotis et illatorum, ideoque frustra

frustra prouocat ad priuilegium dotis a IVSTINIANO concessum. a)

a) de qua re nuperrime differuit CAROLVS IAC. SCHMID in commentat. iuridica, *de usu iuris Romani dotalis in foris Hamburgensibus*, Helmst. 1788.

§. VIII.

*Quodammodo etiam particularis.*

Etiam *communio coniugalis particularis*, quae omnem aequaestum coniugalem pro obiecto habet, obligat vxorem ad debita *socialia* a) pro rata soluenda, ideoque si in concursu creditorum ad priuilegium dotis prouocat, et adsunt eiusmodi debita, quae non aliter quam ex bonis dotalibus solui possunt, creditoribus exceptio compensationis omnino competit. b)

- a) *socialia debita* hoc loco sunt, quae *durante* matrimonio sine aequaestus causa, sine etiam ad onera matrimonialia ferenda sunt contracta.  
 b) latius hoc persequer, nisi otium mihi fecisset CHRISTIAN GOTTLIEB GMELIN in *diff. de obligatione vxoris ad soluenda debita a coniugibus contracta, noto imprimis super bonis mariti concursu creditorum*. Tubing. 1785. §. 20, seqq. conferri etiam potest Langsdorf c. ff. §. 41.

§. X.

## §. X.

*Remissio privilegii dotis.*

II. Alter modus communis, quo ius hypothecae ideoque etiam privilegium dotis expirat, est *remissio pignoris*, atque hanc etiam a muliere, vti a quouis creditore pignoratío expresse vel tacite fieri posse, dubitandum non est a). Dummodo 1) non per modum intercessionis aduersus *senatusconsultum Velleianum* suscipiatur, aut 2) per modum donationis inter virum et vxorem peragatur, si nempe vxor non solum ius pignoris remittit, sed ius etiam intuitu dotis repetendae ei competens marito donat. Priori enim casu exceptio remissi iuris pignoris per replicam SCi Velleiani excluditur b). Posteriori autem casu non solum renunciationi nostrae obstant leges, quae donationes inter virum et vxorem inuvalidas, vel potius, quod iuri noviori consentaneum est, reuocabiles pronunciant c), sed etiam quae infirmant pacta quibus mulieres indotatae redduntur d).

a)

- a) L. 11. C. ad Sctum Velleian. Etiam constanter matrimonio ius hypotecarum sive pignorum marito remitti posse explorari iuris est. L. 2. C. eod.
- b) Possunt tamen interdum creditores replicam Scti duplicando elidere, si adest causa quae applicationem Scti in casu obvio impedit, vid. HELLFELD, in iurispr. forensi secund. pand. §. 924. et conf. I. H. BOEHMER in d. de efficaci mulierum intercessione. in exercit. ad pand.
- c) L. 1. pr. D. de donat. inter vir. et vxor. L. 32 §. 2. D. eod. HELLFELD, in iurispr. for. §. 1253. seq. conf. GOTTF. LVD. MENCKEN vt in d. de donat. inter virum vxor. non ipso iure nullis in opusc.
- d) L. 12. §. 1. D. de pact. dotal. L. 2. D. de iure dot. L. 16. D. de pact. dotal. L. 3. C. de pact. conuent.

## §. XI.

*An mulier, quae sciens obaerato nubit,  
priuilegium dotis amittat?*

An vero mulier, quae sciens obaerato nupsit eique dotem intulit, priuilegium dotis amittat? quaestio est, in qua enodanda maximopere dissentiunt Icti. Affirmant eam inter alios GAILIVS a) G. AD. STRVIVS b)

vs b) BERLICH c) BENED. CARPZOV. d) Negat cum aliis SAM. STRYCK e) et LANGSDORF. f) Ratio, quam pro affirmanda hac quaestione afferunt, in eo ponitur, quod eiusmodi mulier, quae sciens obaerato nupsit, eique dotem tradidit, eam quasi aleae exposuerit sicque renunciauerit priuilegio suo. Sed recte regerunt dissentientes, renunciatio iuris sui in dubio non praesumitur, neque ex eiusmodi actu, quo ius nostrum periclitatur. Praesumendum potius est, mulierem hoc sine obaerato marito dotem dedisse, quo ille ex ea res suas conclamatas et perditas meliores reddere atque denuo patrimonium sibi acquirere possit.

a) lib. 2. obi. 84.

b) in *syntagm. iur. civ. exercit. 44. thes. 49.* ibique PETER. MULLER.

c) part. 1. *conclusion. 65. num. 81.*

d) Const. 28. def. 48 cuius sententia in *decif. saxon. elect. L. 6.* approbata est.

e) in tr. *de iure uxoris in bona mariti c. 3. num. 43.*

f) c. tr. §. 36, not. e.

## §. XII.

*Continuatio.*

Alia autem decisio faciendā, si ponas concursu iam formaliter moto, aut cessione bonorum facta, aut missione in possessionem decreta, vxorem debitoris communis dotem intulisse. In quibus casibus ius creditorum in omnia bona debitoris quaesita tam dotis illatae acceptatione inminui, id eoque hypotheca priuilegiata vxori acquiri non potuit.

Et pari ratione in casu, quo vxor marito obaerato eo sine dotem intulit, vt fidei ei habeant alii, qui actiones mouent, aut arresti impositionem minantur, quo securae res suas distrahere et confecta pecunia cum noua vxore fugam petere possit. Hoc enim posito vxor ex capite doli dotis repetitionem, sicque eius priuilegium amittit. (§. V. et VI.)



## §. XIII.

*De amissione priv. dotalis per rei interitum.*

III. Quemadmodum in genere ius pignoris, ita et privilegium dotis, ob rei pignoris nexu obligatae interitum, evanescere in propatulo constitutum est. a) Dummodo res mariti, de qua quaestio est, tota sit extincta, nam parte tantum perdita, pars quae superest obligata manet b). Combusta igitur domo, manet in area et caementis. c) Nec circa superficiem mutatio pignori obest, veluti si domus conuertatur in hortum. d) Et quamvis pignus speciale eiusmodi mutatione, qua nova species producitur, evanescat veluti si ex ligno oppignorato navis fabricata fuerit. e) Hoc tamen in pignore generali, quod omnia bona debitoris afficit applicari nequit, nisi supponas casum, quo nova species ex materia marito propria producta non marito, sed tertio cuidam tanquam specificanti, acquiritur. f)

a) L. 8. pr. D. quib. mod. pign. vel hypothec. solvitur.

b) L. 16. §. 2, L. 29 §. 2. D. de pignorib. et hypothec.

- c) L. 21. D. de pignorat. act.  
 d) L. 16. §. 2. D. de pignorib. et hypothec.  
 e) L. 18. §. 3. D. de pignorat. act.  
 f) §. 25. I. de rer. divis.

## §. XIV.

*Quid, si bona mariti publicantur?*

Quid autem si vniuersa bona mariti, ob delictum quod commisit, publicantur, an ideo quasi interierint, repetitio dotis et dotale priuilegium cessabit? Quod mihi quidem non ita videtur. Salua potius et integra manent iura in bona delinquentis tertio quaesita. Cum *delictum teneat tantum suum auctorem*. a) Ex eaque ratione eiusmodi delinquens, in cuius vniuersa bona fiscus successit, quodammodo pro mortuo in legibus nostris habetur b), indeque fiscus instar heredis obligatur et conueniri potest, in quantum per publicationem lucratus est. c)

a) L. 22. C. de poen.

b) L. 65. §. 12. D. profectio §. 7. I. de foeter.

c) L. 2. C. ad leg. lul. de vi publ. et priuat. L.  
51. §. 5. D. de fid. iussorib.

§. XV.

*De praescriptione.*

III. *Praescriptione ius pignoris* a) ideoque etiam privilegium dotis omnino extinguitur, suppositis nempe requisitis, quae in hoc praescriptionis genere in legibus sunt definita. De quibus hoc loco agere, cum in iure Digestorum tradi soleant, et ab aliis iam accurate exposita sint b), superuacaneum esse duxi. Hoc tantum adiuciam, hanc praescriptionem ab eo temporis momento incipere, quo finitum est matrimonium, ideoque dotis repetitio locum habet. c) Nisi supponas casus, in quibus extra ordinem durante matrimonio dos repeti potest. d) Ei enim, qui iure agere non potest, praescriptio non currit e)

a) L. 1. et 2. C. si aduers. creditores praescript. opp. L. 7. pr. et §. 1. 2. 3. C. de praescript. 30. vel 40. ann.

b) vid. IACOB. RAVE de praescriptione pag. 337. edit. EICHMANNI Ien ann. 1780. Ernst Chr. Westphal vom Pfandrechte §. 246. seqq.

- c) L. 7. §. 4. C. de praescript. 30. vel 40. ann.  
 d) L. 20. D. de iure dot. L. 29. C. eod. LEYSER.  
 spec. 313. medit. 1. seqq.  
 e) L. 7. C. de annal. except.

## §. XVI.

*Priuilegium dotis heredibus non competit.*

Iam ad *causas speciales*, quae non in natura pignoris, sed in speciali huius priuilegii ratione nituntur, transeundum est. Quo pertinet I, quod hocce priuilegium ita sit restrictum, vt vxori tantum et eius liberis maternam dotem repetentibus, non autem heredibus competat. Hocce priuilegium dotis, quatenus in *priuilegiata* hypotheca consistit, in haeredes vxoris non transire, IUSTINIANVS *imperator* luculenta ratione disposuit a). Atque hoc etiam est naturae *priuilegii illius personalis* consentaneum, quod iam ante tempora IUSTINIANI mulieribus competeat b), in cuius locum legalem hypothecam, quatenus cum priuilegio praelationis coniuncta est, surrogauit. c) Quod autem

autem priuilegiata haecce hypotheca praeter uxorem liberis quoque competat, hisce verbis satis perspicue statuit *imperator d) sancimus, mulieres potiora iura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris sint temporis priuilegio uallati. — — — exceptis uidelicet contra nouercas anterioris matrimonii filiiis, quibus pro dote matris suae iam quidem dedimus hypothecam contra paternas res vel eius creditores; in praesenti autem similem eis praerogatiuam seruamus, ne ius quod posteriori datum est uxori, hoc anteriori denegetur; sed sic maneat eis incorruptum, quasi adhuc uiuente matre eorum. Duobus enim dotibus ex eadem substantia debitis ex tempore praerogatiuam manere volumus. Idemque postea in noua constitutione e) repetiit Imperator: Non enim aliis dedimus dudum et damus hoc priuilegium, aut heredibus, aut creditoribus sed solis filiiis. f)*

a) L. ult. C. de rei uxoriae action. § 29. l. de action. praeservi autem aliis creditoribus in hypothecis tum censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiat, cuius solius prudentia hoc induximus.

- b) L. vnc. C. de priv. dotis vbi SEVERVS et ANTONINVS imperatores referibunt: *scire debes privilegium dotis, quo mulieres utuntur in actione de dote, in heredes non transire.*
- c) vid. pr. L. vlt. C. qui potior in pign.
- d) cit. L. §. 1.
- e) Nov. 91. pr.
- f) Contrariam ANTON FAERI *sententiam* lib. 8. *coniesf.* 13 solide refutavit BACHOV. *ad disputat.* TREVTLERI Vol. 2. disputat. 24. pag. 295. seqq. quem sequitur WESTPHAL cit. l. §. 82. not. 103. in fin.

## §. XVII.

*An heredibus uxoris hypotheca simplex  
competat?*

Quamvis autem extra dubitationis aleam constitutum sit, heredibus privilegium de quo loquimur, i. e. hypothecam legalem cum iure praelationis conjunctam, non competere; alia tamen quaestio est, *an non hypotheca legalis simplex heredibus uxoris sit tribuenda?* Quam quidem haud pauci affirmant. a) Sed rationem sententiae suam non adiiciunt, quod eo magis necessarium est, quia non desunt dissen-

dissidentes. Videtur autem affirmantium  
 sententia hac ratione defendi posse. IUSTINI-  
 ANVS imperator, antequam priuilegium do-  
 tis constituerat, in securitatem repetendae  
 dotis tacitam hypothecam concessit b),  
 eamque non tam arctis limitibus circum-  
 scripsit, vt tantum vxori et liberis vilita-  
 tem praestare debeat. Id itaque voluisse  
 videtur, quod in regula iuris est in pigno-  
 ribus et hypothecis, vt nempe haec iura  
 transeant in heredes creditoris pignoratitii.  
 Atque haec intentio legislatoris exinde et-  
 iam intelligitur, quia *Imperator* hanc taci-  
 tam hypothecam ita valere iussit, ac si ex-  
 presse promissa et in instrumentis dotalibus  
 redacta fuerit. d) Hypotheca autem con-  
 uentione constituta sine dubio transit in he-  
 redes, cum quilibet pro se et suis heredi-  
 bus pacisci videatur. Atque haec hypothe-  
 cae huius legalis qualitas, qua transit in  
 haeredes, nullibi postea a IUSTINIANO sub-  
 lata deprehenditur. In lege vltima enim  
 C. qui potiores in pignore in eo tantum oc-  
 cupa-

B 4

cupa-

et AN-  
e debet  
atur in

lib. 8.  
di/pu-  
g. 295.  
§. 82.

lex

tionis  
pri-  
ypo-  
con-  
quae-  
x he-  
idem  
nem  
d eo  
esunt  
ffen-

cupatus est legislator, ut hypotheca legis pro dote repetenda privilegio praelationis augeatur, atque ut huius iuris, quod aliis mariti creditoribus quam maxime molestum est, ambitus definiatur. Eandemque sententiam in Institutionibus suis. e) hisce verbis exponit Imperator: *Tacitam (uxori pro dote repetenda) dedimus hypothecam. Praeferrunt autem aliis creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiatur cuius solius pro uidentia hoc (ius praelationis) induximus.* Disserte hoc loco distinguit IUSTINIANVS *tacitam hypothecam* pro repetenda dote, et *privilegium praelationis*, atque hoc tantum ad personam uxoris restrictum esse pronuntiat.

a) vid. v. g. BERGER in *oeconom. iur.* lib. 4. lit. 5. §. 4. not. 3. WESTPHAL. c. 1. §. 82. et §. 164. not. 182.

b) L. vnc. C. de rei vxor. act. §. 1.

d) cit. leg. verb. *Sicut enim et stipulationes et hypothecae inesse dotibus intelliguntur ut inuitiles stipulationes emendantur; sic et in posterum*



rum causa inuenietur valida et perfecta, quasi omnibus dotalibus instrumentis a prudentissimis viris confectis. Et nemo putet nos hoc sancire in his tantummodo, quae instrumentis receptae sunt. Nihil enim prohibet et sine scriptis dos vel detur, vel promittatur, vel suscipiatur, simili modo intelligi factam stipulationem et hypothecam ex utraque parte, quasi fuerit scripta.

e) §. 29. I. de actionib.

### §. XVIII.

*Privilegium dotis, ex Iustiniani constitutione, haereticis non competit.*

Deinde II etiam IUSTINIANVS privilegium dotis ita coarctavit, ut uxoribus haereticis nequiquam competere debeat a), quae scilicet se separarunt ab ecclesia publice approbata et sanctam communionem in ea non percipiunt.

a) Nov. 109. c. 1.: *Quia enim dedimus privilegium mulieribus dotium, ut etiam prioribus creditoribus praependantur, vel meliorem ordinem eas habere et nec a tempore superatas*  
per

per hanc sacram legem, quia et hoc privilegium et tacitas hypothecas et omnia alia quae mulieribus omnibus in diversis privilegiis nostris legibus data sunt, illis damus solum quatenus his fruantur et utantur et quae diligenti- gentiam habeat rectam et adorandam nostram fidem tenere, catholicas dicimus et apostolicam ecclesiae, et participare in eius saluati commu- nione. Quae enim separant se a sancta Deo catholica et apostolica ecclesia et sacrosanctam communionem in ea percipere non patiuntur. Deo amabilibus sacerdotibus, nolimus omnin- talibus frui privilegiis.

§. XVIII.

*An haec constitutio de Iudaeis quoque sit intelligenda?*

An autem haec constitutio de Iudaeis mulieribus quoque sit intelligenda, et haec etiam, ex mente IUSTINIANI, ab usu privilegii dotis excludantur: quaestio est in qua decidenda maximus doctorum dissensus apprehenditur. Affirmantium sententia hac potissimum ratione suffulcitur. Quia

Iudaeae non minus quam haereticæ, *reclam*  
 et publicè approbatam *fidem non tenent*,  
 immo ab ea vterius adhuc recedunt quia  
*Christum* pro redemptore humani generis  
 non habent. Sed fortissima sunt argumen-  
 ta, quæ pro contraria sententia deducit  
 HARTLEBEN b) 1) Iudæi gaudent juris com-  
 munitatis beneficiis, quam diu nec lex aliqua,  
 nec specialis ratio ostendi potest, quæ eos  
 excludat c). 2) Nov. 109 neuiquam ad  
 Iudæas sed hereticas tantum pertinet. Pa-  
 tet hoc ex titulo, præfatione et contextu.  
 In titulo de hereticis tantum fit mentio, si-  
 militer in præfatione tantum de hereticis  
 sermo est. Et *Imperator* diserte dicit, se  
 nomine *haereticorum* intelligere eos, qui  
*licet nomen christianorum sibi in se imposuerint,*  
*tamen a Christianorum se fide et communio-*  
*ne separarunt*, quod de Iudæis dici non  
 potest. Eodem modo imperator in cap. 1.  
 cit. Nov. tantum hereticas mulieres a priui-  
 legio dotium excludit, neuiquam vero Iu-  
 daeas. 3) Longe maior est fauor Iudæo-  
 rum

rum in iure Romano, quam hereticorum  
Iudaei testamenti factionem habent, non  
heretici — —.

a) affirmat hanc quaestionem inter alias L.

TERBACH in *collegio theoretic. pract. ad praeduen-*

lib. 26. lit. 2. §. 23. PETER MÜLLER ad STRUBEN in *Ge-*

*syntagm. iuris civilis de CRAMER. in*

*Wetzlar. Nebenstunden* part. 3. pag. 49. *See-*

PVENDORF in *obs. iur. uniuers.* tom. 1. *de*

208. et tom. 4. obs. 72. STRUBEN in *den recht-*

*Bedenken 3 Theil* 68. *Bedenk.*

b) in *medit. ad Dig. spec. XVIII. medit.*

Eandemque sententiam defendunt IOH. IO-

BECK. in tr. *de iuribus Iudaeor.* cap. 7. §. 1.

GMELIN. in *d. Ordnung der Gläubiger* cap. 1.

pag. 178. SENCKENBERG. d. *de iure et pri-*

*legio detes in concursu, in specie quoad mul-*

*res Iud. c. 12.*

c) L. 8. C. *de Iudaeis.*

## §. XX.

*De usu huius constitutionis in foris  
Germaniae.*

Hanc autem IUSTINIANI constitutionem  
aduersus mulieres haereticas latam apud nos  
in Germania ad eas mulieres quae catholi-  
cam vel etiam Augustanae confessionis addic-  
torum religionem profitentur, applicari non  
posse extra dubitationis aleam constitutum  
est. Hae enim se non separarunt ab ecclesia  
publice approbata ideoque sub *hereticarum*  
nomine in sensu legali non comprehendun-  
tur a). Neque etiam hanc IUSTINIANI san-  
ctionem et omnia ea quae in odium hae-  
reticorum in iure romano constituta sunt  
usum praestare arbitror aduersus eos, qui  
Socinianismum, vel aliam haeresin profiten-  
tur, quam princeps tolerat. Ignorat e-  
nim ius Romanum eiusmodi haereticos to-  
lerantiae privilegio munitos atque de iis  
tantum

tantum disponit, qui publico odio digni  
habebantur. Causam iam dixit atque ad  
versariorum argumenta egregie dissoluit

H. BOEHMERVS. b)

a) vid. *instrument. pacis Ornabrugensis* art. 5  
§. 35.

b) in *iure ecclesiastic. protest.* lib. 5. tit. 7. §. 20  
seqq.

o digi  
rque ad  
soluit  
r art. 1  
7. §. 2











Helmsstädt, Diss., 1786-95

ULB Halle

004 327 586


3



Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

Z,

1788, 16

COMMENTATIO IVRIDICA  
DE  
CAVSIS, QVAE PRIVILEGIUM  
DOTIS INVILE REDDVNT.

QVAM LOCO  
DISPVATIONIS INAVGVRALIS  
ILLVSTRI IVRE CONSVLTORVM  
ORDINI,

PRO  
SVMNIS IN IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS,  
EXHIBET AVCTOR  
IOHAN. FERDINAND. MOELLER  
PADERBORNENSIS.

DIE XXIII. AVGVSTI ANNI MDCCLXXXVIII.

HELMSTADII  
TYPIS IOH. HENRIC. KÜHN

